



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Litterae Societatis Iesv E Regno Sinarvm Annorum MDCX.  
& XI. Ad R. P. Clavdivm Aquaiuam eiusd. Societatis  
Præpositum Generalem**

**Trigault, Nicolas**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1615**

De Anno Sinico.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68733)

Mathematicarum parte; quod ab ipsis fundamentis notam eruat veritatem. Vnde ipsi Regij nunc Mathematici nihil aliud norunt nisi Eclipses supputare & nugas quasdam è iudiciaria petitas pronunciare: visis ergo libris nostris, quos Pater Matthæus Riccius Sinicos fecerat, nihil mirum est ab hominibus sciendi cupidissimis iisdemq; acutissimis eos exoptari. Mahometanorum libri quantumuis in Sinicam translata linguam, Sinenses fastos nihil emendarunt. Mahometanorum Mathematicorum Collegium à Rege excitatum; etiamnum viget, in quo eclipses ex proprijs eorum regulis supputantur; eaque omnia fiunt quæ ab Sinis Mathematicis fieri iam dicta sunt.

### De Anno Sinico.

Annus apud Sinas lunaris est, qualem olim Hebræis in usu fuisse legimus: cursum scilicet Lunæ cum Solis motu quoad fieri potest componunt. Itaque anni sunt mensium aut potius lunarum duodecim, nisi quod bis quinto ferè quoque anno intercalarem lunarum tredecim interserant. Et quoniam hos inter se Principum planetarum motus in annos singulos computant, & vtrumque inter se componunt, hinc fit vt in Calendarij Sinensis correctione, nihil opus sit cyclo illo decenniali, quo Ægyptij & Arabes vtebantur, aut alio quoli.

quolibet artificio, ad solis motum cum lunæ cursu componendum, nam vnus horæ ac viginti octo minutorum ex Alphonsinis tabulis anticipatio, quæ nouilunia numero aureo Europæo inserit, ab ipsis in annua supputatione continetur, quod vt facilius intelligatur & alia quædam ex infra dicendis, aduertendum est Sinas nec habere, sed nec habere velle Calendarium perpetuum; verum in annos singulos nouum cudunt in dies singulos; idque typis mandant, & in vniuersi regni fines amandant. sumptus in eam rem ex ærario regio suppeditatur, qui tametsi multis aureorum millibus constet, habetur tamen non malè collocatus neque vlllo modo adduci se sinunt vt fastos velint habere perpetuos.

### De Mense, die, hora.

Cum lunaris Mensis sit dierum viginti nouem, & horis duodecim & minutis quadraginta quatuor excedat hos dies, ideo Sinæ mensem alterum triginta dierum circulis, quem magnum vocant, alterum nouem ac viginti, quem paruum dicunt, de finire solent. Dies, quem naturalem Astrologi vocant, à media nocte in mediam noctem insequentem Sinis est vsu receptus; sed eum

L 2 non